DISSERTATIO INAUGURALIS CHIRURGICA,

DE

ANEURYSMATE,

QVAM,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJEST. REG. BORUSSIÆ AULICO ET CONSISTORII MAGDEBURG. CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC. FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXV. D. XXII. DECEMBR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR ET RESPONDENS,

GOTTLIEB WIPERTUS LYSTHENIVS,

MAGDEBURGICUS.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

VIRO
PRÆNOBILISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO DOMINO
DOMINO
ERNESTO CONRADO HOLTZENDORF,
SACR. REG. MAJEST. BORUSSICAE
CHIRURGO PRIMARIO,
RERUM CHIRURGICARUM,
IN EXERCITU,
ET
TERRIS BORUSSO-BRANDENBURGICIS,
DIRECTORI GENERALI,
LEGIONIS PRIMÆ REGIÆ
CHIRURGO PRINCIPI,
COLLEGII MEDICI SUPREMI,
ET
SOCIETATIS REGIÆ BEROLINENSIS
SOCIO.

PATRONO ET FAUTORI
OMNI OBSERVANTIA COLENDO
FELICITATEM PERPETUAM!

VIR PRÆNOBILISSIME
ET EXPERIENTISSIME,

NIhil ſplendidius, & ad omnium ſeculorum commendationem magnificentius eſſe poteſt, quam POTENTISSIMI NOSTRI REGIS, PATRIÆ PATRIS, cura & vigilantia, qua, ut reliquis ſubditorum utilitatibus & opportunitatibus, ſic & illorum ſanitati conſulere in animum induxit. Artem enim ſalutarem priſtino

ſtino ſplendori reddere, a perditiſſimorum hominum proterva licentia vindicare, qui profunda ignorantia & nefanda temeritate in aliorum vitam & ſanitatem graſſantur, ipſasque artes Apollineas magnis ſumptibus, miſſis, undique, qui illas diſcerent, arceſſere, apud nos fovere & REGIA prorſus munificentia tueri, Summo Principi antiquiſſimum viſum fuit. Per Univerſam enim fere Europam celebratur Collegium Medicum, quod Berolini floret & novum Tantoque Principe dignum inſtitutum, quo incognitæ vel non ſatis apud nos excultæ diſciplinæ artesque docentur, omniumque oculis exponuntur ad exterorum etiam invidiam, qui ipſi his novis progreſſibus invitantur. Egregia tamen & prorſus divina ſapientia AUGUSTISSIMI REGIS tamquam lumen aliquod, extinctis ceteris, in eo elucet, quod Viros præſtantiſſimos, omni liberali doctrina, rerumque agendarum peritia inſtructos IPSE ſelegerit, quibus vel docendi, vel omnia, num ex Ejus Voluntate fiant, obſervandi munus demandaretur. Hoc etiam conſilio factum eſſe gaudemus, quod TU, *VIR PRÆNOBILISSIME*, rerum Chirurgicarum per omnes pro-

vincias, exercitusque curæ fueris præpositus, cum illæ res summis subinde difficultatibus implicitæ & de salute hominum decernentes talem Antistitem poscerent, qui his studiis innutritus præclaram scientiam longo & vario usu confirmaverat. Tibi ideoque has pagellas deberi existimavi, quæ *Chirurgicam Aneurysmatis* arduam, ut nosti, sed rudi forte Minerva a me descriptam exponunt & hinc TUO inprimis examini submitti debent. Valde lætabor, si in TE illæ æquum benevolumque judicem obtinuerint, ego vero Patronum, quem nunquam non suspiciam, invenero. Vale!

NOMINIS TUI PRÆNOBILISSIMI

cultor perpetuus

GOTTLIEB WIPERTUS LYSTHENIUS.



PROOEMIUM.



Nnumera quidem morbosorum adfectuum genera sunt, quæ hominibus interitum minantur; inter graviora tamen & intricatiora, quædam singulari nocendi dispositione prædita inveniuntur, ut artis etiam peritissimorum conamina quandoque eludant. Ejusmodi generis adfectus tam Medicina, quam Chirurgia suppeditat tam arduos, tamque copiosos, ut quotidie fere occurrant talia & Medicorum & Chirurgorum scandala, quæ fusius jam enarrare supervacaneum foret. Si quis autem medici consilio ac chirurgicis manibus tractandus affectus & consilii justi celeritatem & auxilii præsentis dextram applicationem unquam efflagitavit, sane fuit illa gravis & sontica Arteriarum læsio, quæ Aneurysma dicitur, cui, nisi prompta & perita manus accedat, miseri eodem afflicti non raro, experientia teste, una

cum

cum sanguine animam emittunt. Veritatem hujus asserti varii passim confirmant auctores; inter quos vero seligere placet *Joh. Jac. Harderum*, qui in *Apiarii observ. LXXXVI. pag. 324.* dicit: *felicem Aneurysmatis exitum pauci viderunt, adeo ægre ferunt arteriæ habenas sibi injici;* nec non *Thom. Bartholinum*, qui in *Epist. Med. LIV. Cent. III.* ingenue fatetur: *Se DEum precari solitum, ut hujusmodi casus vel avertat, vel Curæ suæ subtrahat.* Hujus ergo rei gravitas ac summa necessitas me permoverunt, cum mihi injunctum fuerit speciminis loco aliquod thema elaborare, ut hoc potissimum seligerem, inprimis cum mihi aliquoties data fuerit occasio hunc affectum in Nosocomiis paulo studiosius examinandi. Periculum itaque pro ingenii facturus viribus, ita in hujus morbi historia versabor, ut non tam novitate & rerum prorsus insolitarum commemoratione, quam succincta & accurata ejus descriptione, & methodi, qua illum affectum sanatum vidi, expositione fida placere possim. Quamvis enim multa hac de re jam memoriæ prodita sint, ut sic crambem bis coctam apposuisse videar: certus tamen sum, multa a multis esse proposita, quæ rationi & experientiæ prorsus contrariantur, me vero nihil approbasse, quam utrique consentanea, hisque nonnulla addidisse, quæ in aliis haud relata leguntur. DEus autem vitæ ac salutis nostræ Auctor huic etiam meo conamini, vitam ac sanitatem respicienti, benignissime adsit, ut ejus præcipue Summi Numinis gloria aliarumque salus inde promoveatur.

§. I.

§. I.

ANeurysmatis cognitio variorum auctorum descriptione adeo familiaris reddita est, ut hospes ille plane in re medica ac chirurgica habeatur, qui illam ignorat: ut tamen ordini & mori recepto quadentenus satisfaciam, statim sub auspicio de ipsa denominatione quædam monenda erunt.

§. II.

Derivatur autem Aneurysma ἀπὸ τοῦ ἀνευρύνειν, quod significat dilatare, hinc in latiori sensu a quibusdam pro qualibet vasis, sive arteriosi, sive venosi, dilatatione sumitur. Specialiori vero sensu per Aneurysma intelligitur: *Tumor præternaturalis, plus minus pulsans, vel a tunicarum arteriæ a sanguine facta dilatatione, vel ab hujus ex læsa arteria, effluvio & in partes vicinas extravasatione, ortus.* Cum autem sedes Aneurysmatis posita sit in arteria, de hujus structura ex anatomicis pauca præmittenda sunt.

§. III.

Est vero Arteria canalis ramosus, qui, dum sensim ac sensim angustatur, conicæ figuræ existit, quo sanguinis massa, præcipue cum laudabili lympha remixta, a corde ad omnes corporis partes vehitur. Componitur ex variis membranis, seu dictis tunicis, sibi invicem incumbentibus, de quarum tamen indole & numero adhuc inter anatomicos disputatur. *Vid. Morgagni Adverſ. Anatom. P. II. pag. 77. Exterior* propter vasculorum sanguiferorum eam percurrentium multitudinem *vasculosa* dicitur. Huic subjacet *altera*, quæ *glandulosa* nonnullis habetur & ab extremitatibus dictorum vasculorum oritur. Ubi quidem multis illas controversias agitare nolo, quibus hactenus inter Celeberrimos Anatomicos disputatum fuit, num tales glandulæ veræ dici mereantur.

 Vid.

Vid. Epist. Celeberr. Boerhaven ad Celeberr. Ruysch. hujusque *Responsionem de Fabrica glandularum in corpore humano. Anno M DCC XXII.* editas. Inter has recentiores & inprimis *Ruyschius* aliam collocant, quam *Cellulosam* dicunt, ex cellulis oleoso humore repletis eundem in modum contextam, quo tunica adiposa in reliquo corpore conspicitur, quae etiam ideo multum dilatari potest. Haec vero in obesioribus inprimis animalibus in sensus incurrit. *Vid. Ruysch. Thesaur. Anat. VI. p. 10., Mangeti Theatr. Anatom. L. I. cap. VII. p. 192.* & *Morgagni c. l.* Sequitur quarta, *Musculosa* dicta, eximio prae reliquis robore praedita, quae ex duplici fibrarum serie constat. Exterior & densior composita est ex fibris annularibus, (*Vid. Morgagni Adversf. Anatom. P. II. animad. XXXVIII. p. 78.*) quarum etiam plura strata sibi incumbunt & tunicae hujus maximam partem constituunt. Interiores fibrae tenuiores ad longitudinem decurrunt & ab annularibus harumque membrana tendinea oriri videntur. Hac tunica fortior sanguinis, mediante systole cordis, propulsi impetus cohibetur.

§. IV.

Ex supra data Aneurysmatis generaliori descriptione & ex hac arteriarum structura facile nunc patescit, illud duplex esse, quod etiam Chirurgi in *Verum* & *Spurium* distinguere solent. *Verum* Aneurysma est *tumor in ramo arteriae ortus, qui vel totus nimium expansus est, vel saltem sua aliqua parte & tunica.* Utplurimum enim tunica musculosa a sanguine distenditur, laesis exterioribus, aliquando etiam exterior vasculosa & cellulosa, post laesam musculosam interiorem, quod posterius rarius contingit. Cognoscitur vero ex tumore magis elevato, aequali, molli, digitis comprimentibus cedente, inprimis ex pulsu arteriae fortiori, nec etiam color in hoc variatur.

§. V.

§. V.

Spurium eſt *tumor talis ſanguineus ex ſauciata & pertuſa arteria ortus, ex cujus vulnere ſanguis in partes vicinas effunditur.* In hoc tumor eſt durus, inæqualis, lividus, atri ſæpe coloris & dolens. Pulſus vero in eo vel prorſus nullus, *v. Ruyſch. obſerv. anat. obſ. 38.*, vel obſcurus deprehenditur & potius ſuſurrus ac ſtrepitus, ab inæquali circulo ortus. Facile etiam ſanguis extravaſatus ſtagnans in ſtaſin ac putredinem ruit, ut eo partes ſphacelo corripiantur.

§. VI.

Movetur a Curioſis quæſtio, cur in Aneuryſmate *Vero* pulſus *exquiſitior* ac in *ſpurio* obſervetur, cum tamen in hoc ſanguis cuti propior, in illo vero remotior exiſtat. Putaverunt quidam rationem in ſanguinis *qualitate*, vel ſpiſſiori vel tenuiori eſſe quærendam, quæ quidem ratio non omnino rejicienda, cum in *ſpurio* ſanguis extravaſatus *coaguletur* & quaſi *lamellatim* ſibi impoſitus videatur, quo *pulſus* facile cohibetur & *obſcurior* fit: ſed notandæ mihi quoque illæ partes videntur, quibus Aneuryſma includitur. Notum eſt anatomiæ cultoribus, fibras circulares vel annulares arteriarum inſigni robore pollere, ac quadam *elaſticitate*, qua ſanguinis *impetus* coercetur. Quando igitur hæc tunica *aliis* diſruptis aut diſciſſis *dilatatur* & ſic elatere ſuo deſtituitur, ſanguinis *impulſus* arteriæ reniſum *ſuperat*, hinc motus pulſatorius cordis in arteria continuatus nulla impeditur reſiſtentia & facile ac exquiſite partibus adjacentibus communicari poteſt, teſtimonio arteriarum *Cerebri* delicatioribus tunicis contextarum, quarum pulſatio evidentiſſima eſt, ut ipſam etiam cerebro communicent. Longe aliter plane ſe res in Aneuryſmate ſpurio habet, præcipue inveterato, cujus cum tempore ſacculus ita indureſcit, ut cartilagineam nonnunquam induat naturam; præterea ſanguis

 guis

guis in hoc extra arteriam eſt conſtitutus, quare nec mirum eſt & pulſum eſſe obſcuriorem & ſanguinem ſpisſiorem.

§. VII.

His igitur perſpectis non opus erit Diagnoſin Veri & Spurii Anevriſmatis multis exponere, cum ex modo dictis illa facile formari queat, nec Signa fuſius enumeranda erunt, quibus ab aliis tumoribus v. g. Ecchymomate, Varice, nodis tendinum, ganglio &c. diſtingui ſolent; in nullo enim alio tumore ſingula illa occurrunt, quæ in tumoribus Aneuryſmaticis reperiuntur. Differentia *magnitudinis* & *figuræ* tanti momenti non eſt; *majoris* vero, quando ramum arteriæ *majorem* vel minorem, vel partem corporis *internam*, vel externam occupat. *Simplex* Anevryſma dicitur, quod partibus *vicinis* nullum adhuc detrimentum intulit; *Complicatum* vero, in quo ſanguis jam in *ſtaſin* & corruptionem delapſus corruptelam partibus vicinis jam communicavit. *Confer. Ruyſch. in Cent. obſerv. anat. obſ. XXXVII & XXXVIII.*, qui ex Aneuryſmate corrupto coſtas eroſas, comminutas & friabiles factas obſervavit.

§. VIII.

Locus gravi huic affectui obnoxius conſtituit varias corporis partes, quibus vaſa arterioſa intertexta ſunt, ut caput, collum, pectus, ſpina dorſi extremitates & quæ aliæ ſunt partes; qua de re magnus apud obſervationum collectores proſtat earundem numerus, quæ ipſæmet conſuli poſſunt. Præcipue autem ipſi ſubjicitur flexura cubiti ex variis pernicioſis cauſis & mala inprimis Venæ Sectionis adminiſtratione. Sic mulieres ex partus difficilis laboribus & reſpiratione fortius cohibita ſibi aliquando Aneuryſmata, inprimis arteriæ carotidis externæ contrahunt; quale etiam nonnunquam ex intenſioribus & vehementioribus vomendi conatibus obſervatum fuiſſe percepi.

§. IX.

Causæ, quæ Aneurysmata producere solent, commode in *Externas* & *Internas* dividuntur. Causæ *Externæ violento* utplurimum modo utrumque Aneurysma provocant, si v. g. instrumento quodam incisorio, ut lanceola, exteriores tantum læduntur tunicæ, interiori illæsa, exsurgit verum, si *omnes* vero simul læduntur *spurium* Aneurisma. Huc referri debet laceratio, distensio & contusio, cujus notabile exemplum Doctiss. *Feber in Miscell. Curios.* refert: mater enim filio hujusque sinistro capitis lateri, per quod insignis arteriæ carotidis externæ ramus movetur, plagam baculo induxerat, ex qua subito ortum est Aneurysma, intra paucos dies ita exsurgens, ut in singularem tumorem, dimidiam ejusdem pueri capitis partem æquantem, attolleretur. Quale etiam exemplum vide in *Dissert. de Aneurysmate in capite pueri XI. annorum à Joh. Nicol. Holtorff Argentorati MDCCXII.* ventilata.

§. X.

His causis aliæ adnumerantur, aliquando enim ossa luxata, fracta, vel tumoribus, qui exosteses dicuntur, obsessa arterias vicinas comprimunt, sanguinis transitum impediunt & sic majori dilatationi & tunicarum rupturæ occasionem præbent, id quod in costarum, quibus arteriæ intercostales proxime adpositæ sunt, tumoribus & læsionibus, nec non in humeri luxatione accidere inprimis potest. Abscessuum & ulcerum sanies in variis locis, ut reliquas partes, sic etiam subjacentes arterias, emollire illarum texturam relaxare, aut etiam tunicas arrodere potest & Aneurysma relinquere, ut alias nunc taceamus: *Vid. Garengeot Traité des operations de Chirurgie Tom. II. p. 173.*

§. XI.

Internarum Causarum magnus allegatur numerus, quæ vero plerumque ita comparatæ sunt, ut veritati haud

ſatisfaciant. Humor enim melancholicus, calidior corporis intemperies & quæ aliæ ſunt ejusdem cenſus cauſæ in generalioribus conſiſtunt & nulla directa aut tanta vi & energia gaudent, qua Aneuryſma provocare posſint. Illi, qui peculiarem ſanguinis arterioſi acrimoniam accuſant & illam arteriarum tunicas corrodere & exedere exiſtimant facilem hujus læſionis cauſam ſibi inveniſſe videntur, quam tamen in imaginatione ſaltem ſubſiſtere & rationi & experientiæ eſſe contrariam ſequentia probant argumenta.

§. XII.

Extra omnem dubitationem enim poſitum eſt, ſanguinem, non ut veteres ſibi imaginati ſunt, in vaſis corporis noſtri ſtagnare, ſed perpetuo motu, illoque velociſſimo, in arteriis mediante cordis pulſu agitari, ſub quo celeriori tranſitu fieri non poteſt, ut acrimoniæ locus concedatur vaſa, illorumque, inprimis arteriarum, tunicas adgrediendi illasque erodendi. Talis eroſio etiam, ſi a vera acrimonia & particulis ſalinis oriri poſſet, teneriores potius partes & arteriolarum extremitates pulpoſas lædere deberet, quam vaſa majora & firmiori textura prædita. Arteriarum etiam in caſibus Chirurgicis ſatis magna obſervatur tenacitas, quippe quæ quandoque nec digeſtivis, nec fortioribus ſuppurantibus in vulnerum & ulcerum tractatione cedunt, cum tamen talia remedia exterius proxime applicita majori ſane virtute partes colliquandi & conſumendi gaudeant, quam ſanguis celerrimo & perpetuo motu agitatus.

§. XIII.

Probabilior vero & veritati magis conſona eſt illorum ſententia, qui plethoram & ſanguinis ſpiſſitudinem accuſant, inprimis ſi ſanguis, animi pathematibus, potuum ſpirituoſorum abuſu, corporis motu nimio, celeriori imprimis curſu commotus & in arteriæ partem, quocunque

cunque modo debilitatam, atque elatere suo ac tono aliquantisper destitutam, appulsus fuerit.

§. XIV.

Causis internis quidam etiam adnumerant polypum, in casu illo singulari, quando Aneurysma post mortem in carotide, arteria pulmonali, vel ipsa etiam aorta deprehensum fuit, in quibus sanguis in libero suo progressu impeditus propter molem polyposam vi aliqua propellitur, hinc pars arteriæ polypo opposita distenditur, relaxatur & sic Aneurysma oritur. Hujus rei multa adducere possem exempla; sufficiant notatu illa dignissima, quæ occurrunt in Appendice *Ephemer. german. Anno I. Dec. III. & Mangeti Theatr. Anatom.* ex recensione *Dn. Bianchi Libr. I. Cap. VIII. p. 193.*

§. XV.

Omne itaque Verum Aneurysma præsupponit atoniam interioris cujusdam arteriæ tunicæ, quando exteriores, incisæ & vulneratæ, vel alio modo læsæ fuerint tunicæ, ubi propter continuum fortioremque sanguinis arteriosi appulsum tunica interior successive magis magisque distenditur & relaxatur, donec tamen exteriores, nisi incisæ fuerint, utpote interna musculari tenuiores & debiliores rumpuntur, ut sic interna firmior, quæque propter fibras musculosas magis distendi & extenuari potest, spatium sese extendendi & dilatandi nanciscatur & herniam quasi per reliquas tunicas protuberantem constituat.

§. XVI.

Alii & ex auctoribus plurimi alium hujus rei modum sibi concipiunt, existimantes interiores arteriæ tunicas per vehementem sanguinis fortiter circulantis appulsum prius disrumpi & exteriores dilatari; aut si incisione vel alia violentia omnes simul arteriæ tunicæ læsæ fuerint (qua læsione Aneurysma spurium constituitur) exterio-

res

res tunicas citius consolidari, quam interiorem. Quæ quidem communior est sententia, sed rationi non æque ac prior congrua mihi videtur; interior enim musculosa tunica & reliquis fortior est & ex fibris musculosis contexta, hinc propter firmiorem texturam resistere, propter fibras musculosas sese extendere & propter easdem, si læsa fuerit, citius consolidari potest.

§. XVII.

Progredior jam ad *Prognosin*, quæ votis haud semper respondet; nam tantum negotii & laboris exhibent chirurgo Aneurysmata, ut omnes fere reliquos tumores difficultate superent. Interim tamen Aneurysmata Vera minora, in minoribus præcipue arteriarum partium externarum ramificationibus facilius sanantur; appulsus enim floridi sanguinis ad tempus corruptioni resistit: deinde rationi convenit dilatatam arteriam rupta commodius curam admittere. Majora vero, inveterata & in majoribus ramificationibus v. g. arteria carotide, axillari & crurali occurrentia difficillimæ vel nullius plane medelæ existunt. Spuria, majora quam Vera inferunt pericula, ad insignem enim molem excrescunt & si non statim abeunt in corruptionem sphacelosam, cum hæc a sanguine præterfluente aliquandiu arceatur, facile tamen oriri potest corruptio salsa acris, qua partes adjacentes tandem corroduntur *conf.* §. *VII.*

§. XVIII.

Curam Aneurysmatis priusquam adgredior, placet paucis quorundam medicorum & chirurgorum methodum perlustrare, qua periculoso huic affectui medelam ferre tentarunt. Postquam enim sibi persuaserunt, hunc affectum, sua sponte ortum, dependere a dilatatione, ex nimio motu ad partem, facta, omne studium in eo posuerunt, ut sanguinem derivarent & locum affectum dilatatum constringerent. Priori intentioni satisfacere debebant

bant remedia lenientia, mitiora purgantia & turgefactionem sanguinis alterantia; posteriori vero adstringentia externa; hinc multo cum studio applicabant varia ejusmodi generis emplastra & Cataplasmata; quæ quidem usu suo non destituuntur, raro tamen scopo perfecte satisfaciunt, aliquam vero, si aliis junguntur adminiculis, utilitatem præstare possunt.

§. XIX.

Unde etiam Veteres remedia pharmacevtica non sufficere cognoverunt. Hinc *Paulus Ægineta Libr. VI. de re med. cap. XXXVII. in Collect. Steph. pag. 565.* jam de incisione cogitavit, quare non incongruum erit ejusdem verba hic apponere: *Si tumor, inquit, ex apertione factus est, sectionem rectam in longitudinem cuti infligimus, deinde disparatis per hamulos labiis, velut in vasorum exsectione dicebamus, excoriantes & per apta ad hoc instrumenta a membranis repurgantes, arteriam nudabimus & acus sub ea transmissione, ac per duo fila deligatione usi, ubi prius intermediam arteriæ partem scalpello punxerimus, & quod continetur in ea evacuaverimus suppurante curatione utemur, donec deligata filorum vincula excidant.* Cum quo exacte consentit *Aëtius Tetrabiblo Serm. III. cap. X. edit. Steph. pag. 746.*

§. XX.

Alii instrumentis *compressoriis* & depressoriis levamen huic malo afferre idque penitus tollere studuerunt, nec *infelici* tentamine; siquidem sedula observatio practica usum eorundem huc usque satis comprobavit, modo illud bene observetur, ut *opportune*, *perite* & *dextre* applicentur, ne ex minori malo gravius resultet. Illud certissimum est, curam generalem Aneurysmatis tradi non posse; aliud enim *compressione*, *ligatura* & medicamentis *adstringentibus* curatur, aliud *minus*: quoddam *non sine*

operatione sanatur, quoddam vero *illam respuit*, & ita pro circumstantiarum varietate, curam etiam diversam instituere debet Chirurgus.

§. XXI.

Quo autem eo melius omnia, quæ Aneurysmatis curam concernunt, intelligantur & applicentur, duplicem respectum servare debemus. Omne enim Aneurysma quocunque modo ex allegatis differentiis illud se habeat est vel *Sanabile* vel *Insanabile*. Insanabilium in Prognosi jam mentio facta est, inter quæ præ aliis eminent Aneurysmata *interna*, nec non illa, quorum situs in aliquo capaci arteriæ ramo deprehenditur. Sicuti autem nulla fere regula tam firma est, quæ non patiatur exceptionem, ita etiam mihi contigit in Nosocomio Parisiensi, l'Hotel Dieu dicto, notatu dignum hujus rei exemplum videre. Miles enim gregarius cum aliis ibi decumbens discessit tandem curatus Aneurysmate Vero, non mediocris sane magnitudinis, nam dimidiam ovi anserini partem æquabat, quod in superiori arteriæ cruralis parte, ex gravi contusione factum gerebat. Non impedit vero ejusmodi singulare exemplum, quo minus illa majorum ramorum Aneurysmata, incurabilibus adnumerentur, præcipue si in regionibus deprehendantur, ubi ne amputatio quidem partis, uti in hoc subjecto, locum invenit. Ita etiam Incurabilibus quoad plurimos casus adnumeranda sunt spuria illa complicata Aneurysmata, quorum §. VII. mentio facta est, quæ rarissime laudabilem suppurationem admittunt; sed utplurimum gangrænam, sphacelum & ejusmodi tristissimos eventus pedissequos habent; ni insolito & rarissimo modo DEO & natura ita disponente, singularis quædam partis affectæ secessio & curatio contingat.

§. XXII.

§. XXII.

Missis incurabilibus *Sanabilia* potius amplector, quæ consueto *duplici* illo operandi modo sanari possunt. *Prior* versatur circa *minora* præcipue Aneurysmata in *subdivisis* arteriarum ramificationibus obvia, quæ remediis *efficaciter* adstringentibus & *fasciis*, aut etiam *instrumentis compressoriis* & depressoriis optimo cum successu tolluntur. *Alter* vero adhibetur in Aneurysmate *Vero* & *Spurio*, cui prior & *lenior* methodus haud sufficit, ille tamen modus *tunc* saltem admitti potest, quando vitium non arteriæ ramum majorem, sed *minorem* occupat.

§. XIII.

Paulus Aegineta l. c. majorem commendat & *peculiarem* quandam constrictionem, qua Aneurysma *deligatione* curari possit. Suadet enim, si ex arteriæ ruptione dilatatio facta fuerit, totum ipsum, quantum ejus fieri potest, una cum cute digitis prehendere, deinde acum infra apprehensam trajicere, quæ duplex filum trahat: & post trajectionem, ipsam duplicis fili ansam dissecare, & sic per duo fila tumorem hac illac deligare, veluti de staphylomate dixerat. Sed hoc mihi dictu facilius, factu vero difficilius & hodiernis moribus ac probatis methodis minus conforme esse videtur propter certissimam stasin & sphacelosam putrefactionem inde metuendam. Securior vero & longe mitior ille modus est, qui *machinis* aptis ferro aliquo *depressorio* instructis, ita ut in dies pars affecta sola magis comprimatur, rem perficit; qualem machinam ferream vide in *Sculteti armamentario chirurgico Tab. XVIII. num. 4.*

§. XXIV.

Non minorem, quin rectius magis concinnam magisque artificiosam, ac machinæ istæ, exserunt *fasciæ* uti-

litatem convenienter & prudenter applicatæ Aneurysmati tam Vero, quam Spurio, non autem inveterato aut complicato, cujus rei veritatem sæpe numero ipsa mihi experientia comprobavit vid. §. XXI. & *Nicol. Tulpii observ. med. libr. IV. cap. 17.*; hinc sine multis ambagibus eum, quem a perito artifice didici & ab aliis observavi applicandi modum apponam.

§. XXV.

Quando ergo Aneurysma fuerit in flexura cubiti, sanguis tumorem formans *compressione digitorum* coercetur & in ipsum arteriæ ramum urgetur, quo simul a reliquo sanguine circulante abripiatur, ne corruptionem induat: deinde imposito pro circumstantiarum ratione *emplastro adstringente* splenium quadratum magnitudini Aneurysmatis exacte respondens, cui corpus aliquod durum v. g. dimidia fabeolæ, vel globuli plumbei pars, aut charta masticata, involutum est, ad locum Aneurysmatis applicatur, postea eidem superimponitur majus splenium, huic rursus majus & sic plura alia semper majora sese excipiunt, donec ad comprimendum locum affectum sufficere videantur.

§. XXVI.

Quando itaque his præmissis Chirurgus fasciam concinnam circumducere vult, ita collocatus sit necesse est, ut semper indice & medio digitis splenia fortiter & æqualiter comprimere & sic tumorem facile denuo emergentem continere queat. Utitur vero in coercendo tumore, si Aneurysma brachium dextrum ægri occupat, dextra sua manu; sinistra vero, si sinistrum brachium ægri læsum est. Arripit altera, e. gr. si brachium dextrum deligaturus sit, sinistra manu fasciam in unum volumen contortam cujus latitudo duorum vel trium trans-

verſorum digitorum, longitudo vero ſex circiter ulnarum berolinenſium ſit. Principium faſciæ imponat inferiori humeri parti, quam duabus circumvolutionibus ſeſe accurate excipientibus involvat, ſemper tamen ipſi cavendum eſt, ne muſculi & vaſa nimis ſtringantur. Faſcia poſthac deſcendat & ſplenia ſupra dicta in ſitu ſuo firmare incipiat, ita tamen, ut quando illa ad digitos, qui ſplenia ad tumorem fortiter apprimunt, pervenit, inprimis caveat ne utrumque digitum tollat & ſic tumor compreſſus, citius quam par eſt, laxetur. Primo itaque loco faſciæ imponatur index, qui hanc, ut diximus, una cum ſpleniis fortiter ad Aneuryſma adigat, ſequatur medius, qui tum prior omnia debite coercet, faſciam quoque aſcendat. Ulterius deſcendendo pergat faſcia ad cubitum usque & radium in quorum principio æque duos circulos æquales & ſibi impoſitos deſcribat, tertius tamen circulus paululum ad ſuperiora inclinet, ita tamen ut prioribus maxima ex parte inſideat (gallis dicitur Doloire aſcendant). Quando itaque faſcia ad radii Caput pervenit, illa oblique aſcendit & rurſus digitis tumorem continentibus ſupra dictum in modum comprehenditur, hoc tamen intercedit diſcrimen, ut, quando faſcia ad ſuperiora movetur, prius levetur medius & hoc demum quieſcente index. Ad ſuperiores itaque circulos usque pertingit & decuſſatim ſibi impoſita figuram Cruci Sancti Andreæ, ut loquuntur, ſimilem deſcribit, cujus centrum proxime & arctiſſime ſpleniis & ipſi Aneuryſmati incumbat. In parte ſuprema novus fit circuitus, qui paululum declinat (doloire deſcendant) & ſic eundem in modum circumvolutio deſcendens & aſcendens bis adhuc repetitur, ut ſic faſcia per centrum & ſupra ſplenia & ipſum Aneuryſma accurate ſibi impoſita ſexies moveatur. De circulis autem

humerum & brachium ambientibus tenendum est illos semper aliquantum modo supra dicto (par doloires) versus inferiora, hos vero versus superiora vergere. Tandem quod fasciæ reliquum est, aliis usibus inservit. Nempe quo irruentis per arterias sanguinis impetus paululum coërceatur, splenium oblongum, multiplex imponitur internæ humeri parti, quam fascia in cochleam serpens (par mousse) firmat, cujus terminus tandem acu assuatur. Hoc enim splenium sic debite applicitum efficit, ne majori strictura ipsius Aneurysmatis opus sit, ex qua facile dolor, inflammatio & gangræna enascitur.

§. XXVII.

Facta igitur decenti Fasciatione Vena statim *largiter* pro subjecti *viribus* in parte *opposita secanda* est, eum in finem, ut sanguini sufficiens circulandi spatium concedatur & varia sonticum hunc affectum concomitari solita *symptomata* præscindantur.

§. XXVIII.

Alvum esse liberam oportet, obstructiones enim commotionibus & orgasmis sanguinis favent, quæ vero in hoc affectu multum nocere possunt. Haud vero ad alvum liberam servandam conducunt purgantia fortiora, sed *lenientia* potius & mitiora laxantia, ut Dct. prunorum dulc. c. cass. tamarind. &c. Mannata, Rhabarbarina, Passulata Clyster. emoll. & quæ ejusmodi generis alia sunt: Scio quidem esse, qui purgantibus Aneurysma curandum putant & exempla, quibus hoc probare volunt, allegant, sed rariores tales casus vix in methodo medendi imitari debemus, cum talis cura non omni periculo careat.

§ XXX.

§. XXIX.

Quodsi vero hæc fuerit Aneurysmatis conditio, ut *leniori* huic modo cedere *nolit*, perspiciendum est, an operatio chirurgica tamquam cura Aneurysmatis *efficacissima* locum invenire possit. Conceditur autem operatio, quando Aneurysma hæret in quadam *subdivisa* arteriæ ramificatione, e. gr. ramus arteriæ axillaris in quibusdam subjectis dividitur supra cubiti flexuram, in aliis vero infra eandem. Si ergo ex V. S. aut alio modo ortum fuerit Aneurysma in flexura cubiti, chirurgus ante operationem instituendam certus esse debet de hac circumstantia; existente enim Aneurysmate in ramo ipso axillari ad amputationem potius quam ad Aneurysmatis operationem refugiendum est: arteria enim ligata tota pars, ut sanguine destituta, vita privatur. Id vero, ut alia taceamus cognoscitur ex pulsus exploratione in utroque brachio facta, si enim pulsus in utroque æqualis est, præbet indicium Aneurysma hærere in ipso trunco, inæqualis vero si existit indicat læsam saltem quandam trunci ramificationem.

§. XXX.

Certior ergo per hæc signa factus Chirurgus de necessitate & possibilitate operationis, ante omnia, si temporis ratio id permittit, corpus subjecti rite præparare debet, repurgando primas vias, ex iisque educendo impuritates. Sanguis si turget temperantibus sedandus, vel plane mittendus est, ne ipsius abundantia operationem reddat difficiliorem.

§. XXXI.

Corpore sic præparato, operatio ipsa est sequenti modo instituenda. Primo ne sanguis multa vi magnaque

quan-

quantitate prosiliens operatori impedimento sit & ægrum viribus exhauriat, circumdatur humerus splenio multiplici, i. e. quintuplo vel sextuplo; fascia sericea vel lintea duplici circulo ambit illud splenium, cujus fasciæ extremitates exterius nodo firmantur. Inter fasciam & splenium immittitur lignum rotundum versatile (Gallis Tourniquet dictum) cui subjicitur charta densa vel corium ne, quando illud versatile lignum circumagitur, partes sub eodem vellicentur. Eo ergo in gyrum ducto ligamen coarctatur eoque & stupor partibus inducitur & simul etiam hæmorrhagia violenta impeditur. Loco hujus instrumenti compressorii quidam veterum trajecerunt in carnes acum, cum filo cerato valido supra Aneurysma & applicatis spleniis crassis instituunt ligaturam. Sed hic sanguinem cohibendi modus utpote crudelis hodie merito negligitur. Aliam & novam machinam invenit pro comprimendis partibus Chirurgus Parisiensis & Academiæ Regiæ scientiarum socius Petit, cujus descriptionem vide *in Memoires de l'Academie Royale des sciences An. 1718. p. 252. Vid. Garengeot Nouveau Traité des instruments de chirurgie pag. 162.*

§. XXXII.

Quando itaque chirurgus his adminiculis sanguinis impetum cohibuit, aperit saccum aneurysmatis in longitudinem, sequendo arteriæ decursum Scalpello quodam apto, bistouri dicto, cavendo ne nervus aliaque vasa lædantur. In Spurio Aneurysmate ligamen paululum relaxatur ad cognoscendum hæmorrhagiæ fontem; post dissecare incipit & arteriam Aneurysmate affectam ab aliis vasculis & præcipue nervo separare, separata arteria hamulo elevatur, ut acus obtusa, tribus filis ceratis instructa, eo commodius sub arteria transmitti queat. Fila eo

la eo ordine disponuntur, ut primum ponatur in parte vulneris suprema; sequitur alterum itidem adhuc supra vulnus arteriæ positum; tertium vero infra illud collocetur. Alterum filum est ordine prius, quod ligatur, deinde tertium. Hoc facto instrumentum compressorium (Tourniquet) in Aneurysmate spurio paululum laxatur, ut artifex de ligatura sua, num bene facta sit, certus fiat. Sanguis in Aneurysmate vero secundum aliquos infra deprimitur, vel secundum alios Aneurysma aperitur & sanguis contentus emittitur. Illud filum in parte vulneris suprema hærens non ligatur, sed illi necessitati reservatur, quando sanguinis impulsus priorum duorum filorum resistentiam superavit. Extremitates fili ejus ita disponuntur, ut ad partem superiorem extra vulnus hæreant & hæmorrhagiâ ortâ mox arctius constringi queant.

§. XXXIII.

Quibusdam moris est, ut arteriam læsam penitus exscindant, sed tutius est eam conservare; nam filum, quod prope arteriæ aperturam constrictum est, facile incepta suppuratione decidit & ita novam hæmorrhagiam causari potest; per suppurationem etiam reliqua arteriæ pars absumitur, ut ita non opus sit tali exscissione.

§. XXXIV.

Ligata igitur decenter arteria instrumentum illud compressorium omnino laxatur ad cognoscendum, num ligaturæ bene institutæ fuerint; ad arteriam vero tres parvi teretes plumaceoli ponuntur: duo ad ejus latera, & unum supra eandem. Sequuntur jam plumaceoli tres oblongi, magnitudine diversi, minor est ordine primus,

major secundus & deinde maximus, reliqua vulneris pars etiam plumaceolis impletur, qui omnes spiritu vini optimo, vel alio convenienti liquore imbui possunt. Plumaceolos obtegit emplastrum & hoc excipit splenium duplicatum circulum circa cubiti articulum describens, sequitur aliud splenium in quadam extremitate incisum, pars splenii non incisa parti vulneratæ applicatur, extremitates vero incisæ in circulum ducuntur, finem denique imponit fasciatio ea ratione instituenda ac modo eam descripsi & in ambitu defensiva discutia applicantur.

§. XXXV.

Alii aliter agunt & loco ligaturæ adstringentibus rem æque perficiendam credunt. Illud commune cum superius descripta methodo habent, quod etiam instrumento illo compressorio ad sanguinem sistendum utantur: deinde, aperto Aneurysmate, sanguinem ex eo emittunt, vulnus abstergunt & accurate vulneri arteriæ admovent globulum Vitrioli Cypr. ad albed. calcinat. linteo carpto involuti, ea magnitudine, qualis aperturæ convenit. Vulnus repletur mixtura ex thur. mastich. & Colophon. ad vulneris labia imponunt plumaceolos digestivo quodam illinitos & denique applicant fasciam arcte constrictam. Si globulus ille decidit & hæmorrhagia recrudescit, alius applicatur, usque dum scopum suum obtineant. *Vid. Mangeti Bibliothec. Chirurg. Tom. I. pag. 97.*

§. XXXVI.

Fateor hanc procedendi rationem, ea, quæ per arteriæ ligaturam sanguinem cohibet, faciliorem esse & jucun-

jucundiorem, ſed quilibet etiam faciliime perſpiciet, ligaturam tamen, ſi recte inſtituitur, ipſi eſſe præferendam propter certitudinem, quam promittit artifici, novam hæmorrhagiam non ita facile extimeſcendam eſſe, aut ſi forſan impulſus ſanguinis robur unius fili ſuperat, ſuperius tamen ſtatim in promptu eſt, ut quolibet momento arctius conſtringi poſſit.

§. XXXVII.

Conſultum eſt deligationem per duos vel tres dies non ſolvere, quo ſuppuratio eo melius incipiat & ſuccedat & ſi diebus illis præterlapſis ſolvitur, inferiores plumaceoli vulneri firmiter adhuc inhærentes non ſunt auferendi. Brachium non debet eſſe neque nimium inflexum, neque nimium extenſum & manus cubito elatior pulvinari imponenda, nec multum movenda eſt, niſi poſt octo vel decem dierum ſpatium, ubi modeſtus brachii motus non interdicendus, ſed ſuadendus potius eſt, ne eidem incommoda quædam rigiditas & movendi impotentia inducatur.

§. XXXIIX.

Venæ ſectio, ſi ægri vires permittunt, poſt operationem eſt inſtituenda, conſiderari enim debet, circulum ſanguinis eſſe turbatum & in aliqua corporis parte interceptum, hinc accedentibus inſuper animi pathematibus, quæ raro abeſſe ſolent, negotio faciliimo commotiones febriles non melioris notæ introducuntur.

§. XXXIX.

In diæta omnia illa fugienda ſunt, quæ ſanguinem com-

commovent & potius ea ſeligenda, quæ ejus nimiam ſubtilitatem & agilitatem infringunt. Hinc motus voluntarius corporis ſit etiam moderatus, imo poſt operationem ſactam tranquillitas per aliquod tempus obſervetur. Temperantia remedia ſimul in uſum vocentur & lenia diaphoretica æqualem ſanguinis diſtributionem promoventia. Alvus ſervetur libera & reliquæ excretiones ſufficienter ſuccedant, oppreſſæ vero non ſtimulentur remediis fortioribus, ſed moderamine quodam omnia ita peragantur, ut ſanitas ægro concilietur, quæ totius eſt operationis

FINIS.

